Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26086
Copyright: Admont, Benediktinerstift

169

ualeant inclinare. per animam inquit tuam non confun
daris dicere uerum. Et post pauca. Usque ad mortem certa
pro iusticia. et deus expugnabit pro te inimicos tuos. Hinc
ueritas dicit. Beati qui persecutionem paciuntur propter iusti
ciam. Beatus ergo martyr Nicomedis inter persequentium minas
pro ueritate et iusticia decertauit. quia in fine uite in
uoto sue professionis Christo pro illo agonizante permansit.
Ego inquit deo celi et non ydolis sacrifico. quia nec deos esse. nec
ulla ueneratione dignos esse profiteor. Non enim uiuunt
nec ulla ratione nisi artificum manu. informata subsi
stunt. Nam in templis ueluti in ergastulo carceris obse
rata. nec sibi nec aliis prosunt. sed custodes suos eterne damp
nationi. Quid plura. Tunc fortissimus Christi atleta plumbatis est
tamdiu cesus usque dum spiritum exalaret et ita demum cum
agone uite presentis mercatus est gaudia regni celestis.
Corpus uero sanctissimum eius in Tyberim ne a christianis raperetur est precipita
tum. Quod mox a uenerabilis uite uiro et presbytero nomine et
operibus iusto. inde subductum in uia Numentana iuxta
muros est cum honore sepultum. ubi ipsius meritis largi
untur multa querentibus misericordiam beneficia. prestante
domino nostro. cui est honor et potestas laus et gloria et gratiarum
actio cum spiritu sancto per infinita secula seculorum. Amen

Passio sancti MENNE MARTIRIS

ANNO SECUNDO IMPERII SUI DIOC
LETIANUS augustus obseruanda per pro
uincias uniuersas sua precepta destinauit. eq
bus talia docebat. Quoniam deorum beneficia